

Paulus Henningius Johannes Grotius

Quaestiones Selectiores Ex Philosophia Practica Depromptae

Rostochi[i]: Richelius, 1676

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730607909>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 2676

Q. D. B. V. 57.
QVÆSTIONES SELECTIONES

Ex
PHILOSOPHIA
PRACTICA

Depromptæ,

Quas
Sanctâ Sanctæ TRIADOS gratiâ moderante
ET

Amplissimâ Facultate Philosophicâ
approbante

In Inclytâ Academiâ Rostochiensi,

Publica Philosophantium disquisitioni

SUB PRÆSIDIO

V I R I

Præ-Eximij atq; Doctissimi

DN. PAULI HENNINGII,

Philosophiæ Magistri Clarissimi

Exhibet

JOANNES GROTIUS,

Hamburgensis,

AUTOR

IN AUDITORIO Majori.

Ad diem, 26. April. ANNO M DC LXXVI.

horis consuetis

☉(;)☉

Rostochi Typis Jacobi Richelii Sen. Typ.

QUESTIONES SELECTIORES

PHILOSOPHIA
PRACTICA



I. N. J.
PROOEMIUM.



Quamvis ingenui sit Philosophiæ Candidati omnibus incumbere scientiis, summâ tamen ope niti debet, ne disciplinas maximum præ se ferentes usum functoriè saltem percurrat, sed poti⁹ omnè impendere tenetur operam, ut ad summum earû fastigiû perveniat.

Quum verò non breve temporis spatium Philosophiæ addiscendæ sit impendendum, (sicut olim Chio Platonis auditor in ejus studio X consumpsit, Aristoteles XX, Theophrastus XII, Zeno Stoicæ sectæ conditor XVIII, Amelius XXIV annos,) igitur magis necessariæ & ad facultates superiores faciliùs acquirendas maximè facientes, sunt præprimis pertractandæ. Inter omnes autem singularem videtur cuilibet præbere usum Ethica, utpote quæ potentiam intellectivam non tantum illuminat, verùm etiam volitivam ad varias virtutis actiones eliciendas inflammat, excitat & instigat. *Experientia hujus est certissima Magistra, hac enim imbuti homines ambulant* (quæ formula

A

mula

mula loqvendi olim utebatur Magnus Augustinus)
cautiores humiliores & circumspicientes. Prudentia
namq; qvum sit hujus facultatis gubernatrix, præte-
terita, præsentia & futura circumspiciens non potest
non Ethica jure meritissimo disciplinarum Augustif-
sima nuncupari jmperatrix. Eloqvientiæ Parens
Tullius summum Philosophiæ Moralis usum ponde-
rando non incongruè his eam alloqvitur verbis lib. 5.
Tusc. qvæst. *O vitæ Philosophia (moralis) Dux! O vir-*
tutis indagatrix expultrixq; vitiorum! quid non modò
nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu
urbes peperisti. Tu dissipatos homines in societatem vi-
tae convocasti. Tu eos inter se primò domiciliis, deinde
conjugiis tum literarum & vocum communiõne junxisti.
Tu Inventrix legum, Tu Magistra morum & disciplina
fuisti, ad te confugimus, à te opem petimus. Tibi nos
ut antea magnà ex parte sic nos penitùs totosq; tradimus.
Est autem unus dies benè & ex præceptis tuis actus peccanti
immortalitati antepõnendus. Qvapropter animum
induxi, ex florentissimo Ethices viridario illustrior-
es quasdam qvæstiones, veluti flosculos odoriferos,
decerpere, eaq; qvâ possū brevitate proponere. Dis-
plicet enim, qvæ qvidem disputantium solennis est
consuetudo, fusiori periodo unius rei deducere argu-
mentum. Summum itaq; rerum Conditorem sum-
mis rogo precibus, ut cœlestem benedictionis suæ ro-
rem largiri mihi non dedignetur.

Qvæst.

QVÆSTIO I.

V. Philosophia Practica sit nobilior Theoretica?

Respond. cum distinct.

§. 1.

PAucis præmoneo, dignitatem disciplinarum attendi tam ex parte objecti, quam ex parte finis cujuslibet scientiæ. Quum enim (ut docent communiter Philosophi in Logicâ Scholasticâ tract. 1. in materiâ de specificatione scientiarum) scientiæ primariò specificentur ab objectis, & aliàs in disciplinis practicis objectum & finis coincidunt, hinc eis ex his dignitas accrescit omnis, ac proindè quæ scientia gaudet nobiliori objecto vel fine, nobilior quoque est æstimanda.

§. 2. Quo præmonito tres invenio sententias, quarum prima sustinet, Philosophiam Practicam esse absolutè nobiliorem speculativâ. Huic sententiæ subscribit Schönbornerus in præmio Politices, ubi inquit; *unam actionem virtuosam nobiliorem esse omnè necessario descensu lapidis.* Videtur etiam huic opinioni addictus Alstedius in system: Ethic. cap. 1. quæst. 1. Ubi ad propositam quæstionem absolutè respondet affirmativè & duobus argumentis adversarios impugnat, circa finem tamen responsionis ab eâ videtur recedere. Secunda sententia modò relatæ è diametro est opposita, defendit namq; Philosophiam Theoreticam esse simpliciter nobiliorem Philosophiâ Practicâ, & hujus sunt ferè omnes Scholastici & otiosi Monachi, putantes se DEO officium singulare præsta-

A 2

re

re speculationibus suis (taceo quod sæpius admodum sint exiguæ) incumbendo. Alii accuratius philosophantes alio respectu Philosophiam Theoreticam di dignitate excedere Moralem, alio verò moralem superare speculativam defendunt; & cum his faciunt quam plurimi, sc. Scheiblerus, Reyherus in præfixis tabul. I. quæstionibus, ubi citat pro se Aristotelem I. Metaph. cap. I. B. Meisnerum & alios. Ex recentioribus Hornius, Rudrauffius, Conringius & alii passim, quos citare supervacaneum esse judicamus.

§. 3. His præsuppositis sententiis, nostra tandem sit conclusio I. Philosophia Theoretica secundum quid est nobilior Practicâ. Probatur. Quæ Philosophiæ pars partim habet nobilius objectum, partim nobiliori inhæret potentiæ, illa est nobilior alterâ. Atqui Philosophiæ Theoreticæ pars &c. E. Major patet ex §. I. Minor manifestatur ex hoc, quia Philosophia Theoretica modo quodam contemplativo versatur circa DEUM, Angelos & animam rationalem, consideratam tam in statu informationis quam separationis. Insuper est qualitas quædam intellectui tanquam potentiæ nobilissimæ inhærens, sed hujus partis vim & efficaciam quæstione sequenti demonstrabo.

§. 4. Sit conclusio II. Philosophia Practica est secundum quid nobilior Theoreticâ sc. quoad usum. Probatur. Ea pars Philosophiæ est nobilior alterâ ex parte necessitatis & utilitatis, cujus finis est nobilior. Atqui Philosophiæ Practicæ finis &c. E. Major probatione haud indiget, cum sit sufficienter limitata. Minor probatur. Quia Philosophia Moralis docet modum.

modum vitam civilem, pacem, concordiam & veram amicitiam conservandi. Hinc rectè conclusit Tullius loco in præfatione citato, sine Philosophia morali neque nos, neque vitam hominum consistere potuisse.

§. 5. Examinanda modò sunt paucis argumenta pro oppositis opinionibus pugnancia: Alstedius loco supra citato hunc in modum argumentatur: Quæ Philosophiæ pars ordinatur ad aliam, illa est ignobilior alterâ sc. ad quam ordinatur. Atqui Philosophiæ pars Theoretica ordinatur ad Practicam. E. Probationem minoris Author non apposuit, posset tamen hoc modo eam adducere. Philosophia speculativa excitat Philosophum ad amandum DEUM, intellectus enim voluntati DEUM (prout est ex lumine naturali cognoscibilis) tanquam summè amabilem representat. Resp. negando absolute minorem argumenti, & ad ejus probationem dico, Philosophiam Theoreticam pro fine habere cognitionē veritatis, utpotè in quâ subsistit & acquiescit, quod si verò amor DEI ex parte voluntatis subssequatur, hoc fit per accidens, sicut fusiùs ostēdit Rodericus de Arriaga Disput. 1. Log. Sect. 3. & 4. Ubi ostendit in quo ratio speculationis & praxis sit collocanda.

§. 6. Nec obstat, quod voluntas eliciat nobiliores operationes intellectu. Respondetur enim, ex hoc tantum sequi, Philosophiam Moralem, voluntatem perficientem, secundum quid saltem esse nobiliorem Theoreticâ, nimirum respectu usus, non verò absolute & ratione objecti, hoc enim modo Philosophia speculativa dignitate & excellentiâ propè infinita excedit Philosophiam Practicam, quæ DEUM pro objecto principali dignitatis habet.

QVÆSTIO II.

V. Intellectus sit nobilior voluntate?

Resp. Affirmativè.

§. 1. Occasione probationis pro præcedenti conclusione allatæ meritò inquirimus, utrum absolute vera sit sententia, asserens, intellectum esse nobiliorem voluntate? Ut autem hujus controversiæ accurata habeatur notitia, necessariò præmonendum duxi, nobilitatem potentiarum attendendam esse penes actus: sicut enim actus specificantur ab objectis, ita pariter potentias ab actibus specificari necesse est. Ita omnes Philosophi.

§. 2. Certissima igitur videtur hæc propositio: Cujus potentiæ actus sunt nobiliores, illa potentia etiam est præferenda alteri. Hoc supposito resolutoriè concludo: Intellectus est potentia nobilior voluntate. Hæc conclusio est ferè communis, patitur tamen quàm plurimas & gravissimas instantias inferiùs resolvendas. Fundamentum principale pro assertionem nostrâ sit hoc: Voluntas necessariò dependet ab intellectu. E. Intellectus est potentia nobilior voluntate. Consequentia videtur certa & antecedens probatur (a) ab experientia, ex qua proverbium exortum: Nihil volitum, quin præcognitum. Et quis aliquid unquam expetiit, quod nunquam cognovit: (b) Quia omnium Theologorum & Philosophorum consensu voluntarium procedit à principio intrinseco cognoscente singula, adedò quidem exponente Hurtado de Mendoza de Anima disput. 14. de actibus voluntatis sect. 4. §. 25. ut quando aliqua circumstan-

e ignorantia ignoratur, opus per eam ignorantiam effectum non sit voluntarium sub eâ ratione ignoratâ. Videatur Thomas Aquinas. 1. 2. q. 9. a. 1. Admissâ hâc definitione ab omnibus approbatâ hunc in modum argumentor: Illud dependet ab alio, quod præsupponit aliud tanquam principium: Sed voluntas supponit intellectum tanquam principium, ut constat ex definitione, E.

§. 3. Ulterius stabilitur conclusio hoc argumento. Ea potentia est nobilior, quæ nobiliori modo tendit in objectum. Atqui intellectus. E. Major præterquam quod sit clara sufficienter probatur in cursu Logico, tract. 1. disp. 5. de scientiarum constitutione. Minor probatur, quia intellectus tendit in objectum sub ratione veri, voluntas autem sub ratione boni, sed tendere sub ratione veri nobilius est quàm tendere sub ratione boni, quod ostendo, quia tendere in objectum ut verum, est tendere in objectum necessarium, tendere autem in objectum ut bonum est illud attingere, in quantum est contingens. Hoc ultimum iterum probo, quia intellectus tendit in objectum in quantum est immutabile, voluntas verò prout est mutabile.

§. 4. Neque dicas, eâdem necessitate objectum esse bonum, quia est verum & immutabile. Respondetur enim distinguendo, partem priorem objectum esse æque bonum Metaphysicè & Entitativè C. Ethicè & moraliter N.

§. 5. Nec juvaret, si exceperis: Moralitatem fundari in entitate. E. Si bonum Metaphysicè consideratum est æque nobile ac verum Metaphysicum, etiam bonum Ethicè spectatum ut sit eâdem nobilitate præditum oportet. Responderetur enim, moralitatem

moralitatem quidem fundari in entitate, si consideretur fundamentaliter, non autem formaliter, Ratio manifesta est, quia moralitas attenditur penes mores & rectam rationem, moralitas igitur superaddit aliquid entitati. Sed ne excipiendi præripiam occasionem Dominis Oppositoris, nolo hæc ulterius prosequi,

§. 6. Nec instantia Theologica, ex Theologia (ut vocant) mysticâ de sumpta, contra conclusionem nostram aliquid efficit. Docetur in hujus parte tertiâ, quæ via unitiva nuncupatur, voluntatem quasi ardere erga DEUM sine præviâ cognitione. Respondetur enim, Doctores Theologiæ Mysticæ non tam Scholasticè quàm devotè procedere, contrarium enim experientia edocet, licet facilè & sine volubilitate figatur mens, ut nihil videatur cogitare, nihilo tamen minus fuit ipse DEUS tanquam summè amabilis ab intellectu propositus, ut pluribus ostendit Vasquez. in 1. 2. Disput. 35. §. 1.

§. 7. Unica objectio nobis resolvenda est, secundum apparentiam nostram evertens maximam sicq; sese habet. Quæ potentia nobiliores alterâ elicit actus, ea est nobilior. Atqui voluntas & c. E. Minor probatur, quia voluntas elicit actus amoris, intellectus autem actus cognitionis, sed actus amoris sunt nobiliores actibus cognitionis. E. Sed Respond. disting. Majo: quæ potentia nobiliores alterâ elicit actus independenter ab illâ C. dependenter N. itaq; dico actus à voluntate elicitos esse quidem nobiliores (certo respectu) actibus intellectus nobilitate participatâ ab intellectu, utpotè in quo radicantur, (actus enim amoris includit formaliter cognitionem) non autem propriâ, est igitur intellectus nobilior voluntate.

§. 8. In-

§. 8. Instant adhuc Adversarii, quorum tamen numerus est exiguus, intellectum etiam dependere a voluntate, inde quis voluntas ei etiam praescribit sc. hoc vel illud est in hac vel illa circumstantia cognoscendum. Sed Resp. voluntatem movere quidem intellectum per extrinsecam applicationem, non vero per internam motionem, & hoc pacto etiam alia potentia inferiorum a voluntate moventur. Addo, quod etiam voluntas non possit exercere tale extrinsecum imperium absque concursu intellectus, est enim, ut communiter omnes Philosophi docent, potentia caeca, proinde adhuc confirmo sententiam meam, simul concludendo hanc controversiam tali argumento: Potentia visiva est nobilior potentia caeca. Atqui intellectus est potentia visiva & voluntas potentia caeca. E. Intellectus est nobilior voluntate.

QVÆSTIO III.

V. Absolutè verum sit, omnia bonum appetere?

Resp. Affir.

§. 1. Ut satisfiat eximia huic controversiae praemoneo. I. Ex D. Thoma I. p. q. 19. a. 1. duplicem dari appetitum, innatum sc. & elicatum. Primus est inclinatio seu propositio ab Autore naturae indita, qua quaelibet res absque ulla praevia cognitione in suum bonum connaturale est propensa, qualis est propositio gravis in centrum & levis in locum sursum. Secundus vero qui proprie rationem appetitus habet, est actus appetendi quo res fertur in bonum cognitum sub ratione boni, & ita procedit a speciali quadam potentia sc. ab appetitu sensitivo vel rationali, quorum alter fertur in bonum sensibile, alter vero in bonum ut sic.

B

§. 2. Prae-

§. 2. Præmoneo 2. Appetitum elicited adhuc duplicem esse, efficacem seu absolutum, inferentem executionem mediorum necessariam ad executionem boni concupiti; alium inefficacem s. conditionatum, qui dictam executionem mediorum non infert & velleitas quædam appellari solet. Prior significatur per verbum *Volo*, posterior per verbum *vellem*, ille fertur in rem solum possibilem haberi, hic verò etiam ad impossibilia se extendit.

§. 3. Præmoneo 3. Appetitum elicited alium esse necessarium, quoad specificationem & exercitium simul, ut in brutis circa bonum conveniens apprehensum & in beatis circa DEUM clarè visum, alium verò esse necessarium tantum quoad specificationem, qualis est actus appetendi bonum in communi, nam licet homo naturaliter inclinetur ad bonum, non necessitatur tamen ad eliciendos semper actus amoris circa hujusmodi bonum, sed interdum eas suspendere potest.

§. 4. His præmissis resolutoriè concludo hoc dictum: omnia bonum appetere, esse absolutè verum. Ita communiter omnes Philosophi. Probaturs conclusio: Appetitus sive sit innatus sive elicited fertur naturaliter in id, quod est sibi conveniens, hinc etiam pondus naturæ vocatur. Atqui bonum est omnibus conveniens. E. omnia appetunt bonum. Accedit quomodo aliquid sive sit creatum sive increatum possit amare sibi malum & nocivum quod sit imperceptibile.

§. 5. Hæc thesis, licet sit ferè communis, impugnari tamè potest variis modis. Perpendamus argumenta specialiora: Possent sententia impugnari I. hoc argumento: Bonum est objectum voluntatis, sed plurima carent voluntate. E. non omnia appetunt bonum. Confirmatur:

matur: Appetitus sequitur cognitionem, atqui cognitio non est in omnibus rebus, v. g. in plantis, lapidibus &c. hinc consequens videtur, non omnia simpliciter appetere bonum. Respondetur ad argumentum cum S. Thoma 1. 2. q. 1. a. 2. ad 3. distinguendo majorem. Bonum in communi est objectum voluntatis C. determinatum N. quam distinctionem videtur adhibere Swardetzius indisp. Metaph. Quum enim appetitus in brutis & plantis sit determinatus ad unum certum speciale objectum, voluntas autem potentia universalis, hinc voluntas potest tendere in objectum sub ratione boni in genere, appetitus verò sensitivus vel innatus ut contingit in plantis, non potest non nisi in determinatum bonum tendere. Hinc Resp. 2. distinguendo consequens. E. non omnia appetunt bonum appetitu innato. N. elicitio C. itaq; dico non posse: omnia appetere bonum appetitu elicitio, quia ut vidimus §. 1. appetitus elicitio includit cognitionem, multa autem carent cognitione.

§. 6. Hinc patet, resolutio ad confirmationem danda, cum enim lapides & plantæ destituantur cognitione appetere bonum, appetitu elicitio non possunt, appetunt tamen appetitu innato seu indito, sic plantæ naturaliter appetunt loca pingua & fecunda, è quibus utilitatem sibi in alimentum advocare possunt, gravia deorsum tendunt & levia sursum, quia ejusmodi loca ad eorum conservationem magis sunt accommodata, inquit Petrus à S. Joseph in Ethic. lib. 1. cap. 1. a. 2. q. 1.

§. 7. Possent quis instare 2. reperiri multos, mortem sibi consciscentes, quum tamen mors in se mala sit: Sed facile ad hanc communem instantiam Resp. disting. antecedens: multi sibi manus sub specie inferunt boni C. sub ratione mali, N.

§. 8. Urgebis: Si voluntas necessario amplectetur bonum, sequeretur voluntatem non esse potentiam liberam, sequela est absurda, E. & antecedens, quod tamen facile ostenditur, quia voluntas esset determinata ad bonum. Respondetur 1. per instantiam. DEUS non potest amplecti nisi bonum, ideo quia omnia diligit propter semetipsum, ut docetur in Theologia Scholastica, in tract: de voluntate Dei. Deinde etiam voluntas Angelica non potest non amare tantum bonum excluso omni malo, & tamen utriusque voluntas est libera. Proinde Respondetur 2 ex prænotatione 3. distinguendo antecedens. Voluntatem necessario amplectitur bonum necessitata necessitate specificationis C. necessitate exercitii N. Quod autem ad libertatem sufficiat libertas contradictionis patet, præterquam quod sufficienter constat ex allatis instantiis, in voluntate animæ Christi, quæ omnia liberè egit, & nihilominus necessitata fuit ad bonum amplectendum, quoad significationem, sed de his fusè Theologi Scholastici.

§. 9. Instabis adhuc: Voluntatem potest amplecti malum ut malum saltem sub conditione, E. conclusio non potest admitti universaliter. Antecedens probatur, quia voluntas ad experiendam suam libertatem potest amplecti malum. Resp. N. absolutè antecedens, ratio à priori est, quia voluntatis objectum est bonum & extra limites sui objecti nulla potentia potest vagari, deinde posito sed non concesso, quod voluntas possit tendere in objectum assignato modo, adhuc nihil obtineretur contra nostram thesin, cum etiam hoc modo amplecteretur malum sub ratione boni, quia exercitium libertatis in se consideratum bonum est. Graviore instantiæ possunt desumi ex commentariis in l. 2. Theologia Thomæ Aquinatis.

Quæ-

QVÆSTIO IV.

V. Sit nobilius sustinere pericula aut aggredi?

Resp. Nobilius esse sustinere pericula.

§. 1. Duplex assignatur actus fortitudinis, aggredi sc. & pericula sustinere. Ratio enim dicitur aliquando pugnandum esse pro boni defensione, ut impugnatores arceantur & exterminentur, & tunc opus est aggressu forti & prudenti, qui fit per audaciam moderatam: aliquando verò & frequentius dicitur esse patienter sustinendum, ut manifestetur affectus voluntatis erga bonum virtutis, qui tantus est, tantiq; illud aestimat, ut quantumvis impugnatus sit ab illo non recedat.

§. 2. Qværitur ergo, qvinam actus sit nobilior? Respondeo breviter, sustinentiam malorum esse nobiliorem aggressu eorum. Hæc conclusio est S. Thomæ. II. 2. q. 123. a. 6. in responsione ad 1. citat pro hâc sententiâ Aristotelem in argumento, sed contra 3. Ethic. ubi inquit, *Philosophus quod in sustinendo tristia maximè aliqui fortes dicantur.* Adstipulatur Joannes Baptista Gonet Professor in Academiâ Portugalensi, in clypeo Theologiæ Thomisticæ Tom. 4. in secund. secundæ S. Thomæ, cujus argumentum §. sequenti sum allaturus; estq; communis sententia paucis exceptis. Probat verò D. Thomas conclusionem tribus argumentis, quæ in formâ à nobis sunt proponenda. Primum verò eorum tali potest modo formari. Qui sustinet, habet sese ut debilior in ordine ad impugnatores, qui vero aggreditur sustinentem, habet se instar fortioris. Atqui difficilius est pugnare cum fortiori, quàm cum debiliori E. qui sustinet, vehementius pugnat invadente.

B 3

§. 3. Ar.

§. 3. Argumentum secundum hanc ad formam potest reduci: Qui sustinet pericula imminentiæ, nobilius agit eo, qui cogitat futura. Atqui difficilius est sustinere imminentiæ pericula, non moveri ab illis, quàm à futuris. E. nobilius est sustinere pericula quàm aggredi.

§. 4. Tertium est: Difficilius est diu manere immobilem, quàm subito motu moveri ad aliquid arduum; sed sustinere est diu movere immobilem E. Advertit tamen circa hoc argumentum Petrus à S. Joseph, hoc intelligendum esse, cæteris paribus sc. si non adsint longè majora adjumenta ad sustinendum, quàm ad aggrediendum. Fundamentum autem relatorum argumentorum est, quod illud sit nobilius, quod est difficilius, idq; ab omnibus admittitur, ac proinde conclusio sufficienter est stabilita.

§. 5. Supra citatus tamen Joannes Baptista Gonet suppeditat nobis adhuc quartum argumentum ita procedens: Actus planè voluntarius est nobilior imperfectè voluntario. Atqui sustinere pericula est actus planè voluntarius, aggredi autem imperfectè voluntarius E. Exciplies: Aggredi pericula est æque actus perfectus voluntatis, ac sustinere eadem. E. probatio est insufficientis. Resp. disting. antecedens, est æque perfectus actus voluntatis, si *ly* est perfectus reduplicet actum C, si voluntatem. N.

§. 6. Conclusio quum sit quasi abundanter probata, restat ut argumenta thesin nostram impugnantia expugnentur. Proinde exercitii gratia posset quis hunc in modum ratiocinari. Quicquid est difficilius, illud est nobilius. Atqui difficilius est aggredi pericula quàm ea sustinere. E. major ex §. 4. patet, & est Aristotelis 2. Ethic. dicentis: *virtus est circa difficile & bonum.* Minor verò

verò probatur: Major requiritur audacia ad periculi a-
licujus aggressionem, quam perpeffionem. Patri e-
nim quilibet potest, sed non aggredi. Resp. N. abso-
lutè minorem, ad probationem dico eam esse fal-
sissimam. *Difficilius enim est, inquit Thomas loc. cit.*
in corpore articuli, timorem reprimere, quam audaciam
moderari. Rationem assignat à priori, quia ipsum pericu-
lum, quod est objectum audaciæ & timoris ex se confert
aliquid ad repressionem audaciæ. Ulterius Respond. ad
probat: anteced. allati in Prosyllogismo: pati quilibet
potest, sed non aggredi, pati æquo animo N. pati quo-
modocunq; C. & N. consequentiam.

§. 7. Instabis, non potest tamen negari majoris es-
se potentia, agere in aliud quàm ab alio immutari. Sed
qui aggreditur pericula agit in aliud. E. Resp. disting.
Major. Majoris est potentia, agere in aliud ita ut patiat
corpus N. ita ut patiat anima C. & eodem modo distin-
guo minorem & N. consequentiam. Dico itaq; virtute
non attendi penes mutationem corporis, sed ani-
mæ, dilaceretur corpus, animus patiens immobilis per-
manebit.

§. 8. Et multa & præclara pro hac sententia pos-
sent adduci Patrum Testimonia, sufficiat adduxisse illud
S. Chrystomi Homil. 10. in prior. ad Theffal. *Raptorem*
propter DEUM patienter ferre majus est quàm sponte bene
facere. Quamobrem? ed quòd hoc quidem animi fructus
est & voluntatis, unde & facile fit: Istud verò vis est & violentia.
Et facilius quis mille talenta spontè dabit, & nihil se
passum esse putabit, quàm ut tres obulos, præter animi solenti-
am abreptos, mansuetè ferat. Huic subjungo Grego: Ho-
mil. 35. in Evang. expendentem illud Proverb. 16. v. 32.
Melior est patiens viro forti, & qui dominatur in animum
suum expugnatore urbium, ubi subdit. Minor est. E. victo-
ria

ria urbes expugnare, quia extra sunt, quae vincuntur, majus autem est quod per patientiam vincitur, quia ipse à se animus superatur & semetipsum sibi metipsum subjicit, quando cum patientia in humilitate tolerantiae sternit. De- mum Ambrosius l. de officiis cap. 36. Reverà jure for- titudo vocatur, quando unusquisq; seipsum vincit. jam conti- net, nullis illecebris emollitur ac inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam, variarum verum circumfertur mutatione. Quid autem excelsius & magnificentius exaequatur propositum animi ac voluntatem? Ex his intelligis, actum principalissimum fortitudinis esse martirium, quippe cum illud non in aggrediendo sed in sustinendo consistat, unde D. Thomas hic, q. 154. a. 2. ad 3. sic ait: *Principalior est actus fortitudinis, sustinere ad quem pertinet martirium, non ad secundarium actum ejus, qui est aggredi.*

QVÆSTIO V.

V. Detur actus indifferens inter bonum & malum?

Resp. cum distinctione.

§. 1. Præmoneo paucis, actum bonum dici illum, qui est rectæ rationi conformis; malum verò, qui rectæ rationi repugnat, quod ergo in præsentia celeberrimâ difficultate quæritur, est; Utrum detur actus, qui sit neque bonus neque malus?

§. 2. Circa propositam quæstionem triplex ver- satur sententia. Prima est Scoti in 2. distinct. docentis nullum dari actum indifferentem ex sua specie, plures tamen actus in individuo in indifferentes esse. Secunda D. Thomæ i. 2. a. 8. & 9. asserentis dari quidem actus Indif- ferentes & suâ specie, nullum tamen esse indifferentem
in indi-

in individuo & quoad exercitium. Tertia Vasqvetzii & aliorum admittentium actus ex sua specie & in individuo indifferentes.

§. 3. His prænotatis sit conclusio I. Datur actus indifferens secundum speciem. Ita concludit S. Thomas primâ secundæ q. 18. a. 8. Huic subscribunt ferè omnes Scholastici præprimis Thomistæ, in commentariis ad textum D. Thom. Cardinalis Cajetanus, Porrecta, Johannes à S. Thomâ, Marcellus Professor Neapolitanus, Johannes Baptista Gonet. Tom. 4. disp. 5. art. unico. §. 2. & Celeberrimus Magister Marletta, cum quibus ad nostram conclusionem probandam, sic argumentor: Omnis, actus sive sit Phycicus sive Moralis, specificatur primariò ab objecto. Sed datur objectum indifferens secundum speciem, i. e. quod rationi nec convenit nec disconvenit. E. datur actus moralis indifferens secundum speciem. Major probatur in Ethicis in tract. de actibus humanis. Minorem probo. e. g. ambulare, levare aliquod lignum, ire ad agrum & hujusmodi actus ex objecto non habent bonitatem aut malitiam, sed ad utrumq; sunt indifferentes, juxta illud S. Augustini lib. 2. de sermone Domini in monte: *Sunt quadam facta media, qua possunt bono vel malo animo fieri, de quibus judicare temerarium est.*

§. 4. Argumentor 2. cum Petro à S. Josepho hoc pacto: Qui actus non pertinet ad ordinem rationis, illi sunt indifferentes. Atqui recensiti actus &c. E. Argumentor 3. actus humanus potest esse bonus vel malus E. actus in & secundum se est indifferens. Consequentia est evidens, si enim actus humanus esset determinatus ad bonitatem vel malitiam. E. esset essentialiter bonus vel malus, neque ullo modo posset mutari. Antecedens

C

manifestè

manifesté probo: hic actus, ire in agrum, potest esse bonus, in quantum Paterfamilias exiret videndi gratia, utrum servi omnia expedienda expediissent. Esset autem malus, si quis tunc vellet ire in agrum, quando eundem esset ad templum, vel si quis iret illuc scortandi causa. E. oportet actum hunc secundum se præcisè consideratum esse indifferentem, id est neque bonum neque malum. Hæ sunt rationes principales, quæ communiter à Scholasticis pro hac sententiâ solent adduci, sed ut reddatur illustrior conclusio, placet subjungere objectiones adversariorum cum suis resolutionibus.

§. 5. Objicies igitur commune illud argumentum: Quæ privativè opponuntur, illa non admittunt medium. Atqui bonum & malum &c. E. & per consequens non datur actus indifferens. Respondeo ad objectionem vulgarem vulgari distinctione ad majorem. Inter privativè opposita non datur medium in quantum privativè opponuntur C. in quantum contrariè opponuntur N. dico igitur, quod licet bonum & malum in naturalibus opponantur privativè, in moralibus tamen opponuntur contrariè, sed quia hæc distinctio variè potest impugnari. Igitur Respondeo 2. & faciliori modo, quod, licet inter privativè opposita non detur medium absolute, bene tamen si apponatur aliqua reduplicatio aut præcisio v. g. etsi aër à parte rei sit lucidus aut tenebrosus & animal videns vel cœcum, si tamen aër secundum se & secundum suam essentiam consideretur, neque est lucidus neque tenebrosus & animal secundum sua prædicata essentialia neque est videns neque cœcum, sed abstrahit ab utroque; similiter quoque licet omnis actus humanus in individuo sit vel bonus vel malus moraliter, & sic non datur mediū, ut dicemus conclusione sequenti, tamen

tamen loquendo reduplicativè, seu addendo, *ex specie sua* datur quidem actus humanus, qui est neque bonus neque malus, sed indifferens, ille scilicet, qui versatur circa objectum neque consonum neque dissonum rationi.

§. 6. Idemq; respondetur, si fortè Adversarius adduceret hanc paritatem inter verum & falsum respectu propositionis non datur medium, omnis enim proposito aut est determinatè vera, aut determinatè falsa E. neque inter bonum & malum respectu actus voluntatis. Idem inquam respondetur, nam licet inter verum & falsum respectu propositionis, absolutè non detur medium, si tamen fiat aliqua præcisio aut reduplicatio, potest dari medium, propositiones enim de futuro contingenti & prout (NB.) antecedunt decretum & important habitudinem ad rem significatam, neque sunt veræ neque falsæ, sed indifferentes ad veritatem & falsitatem, quia pro illo priori earum objectum nec est futurum neque non futurum, sed purè possibile & merè indifferens ad futurationem (liceat in præsentibus cum Scholasticis barbarè loqui) vel non futurationem, ut fusè docetur in tractatu de scientia DEI.

§. 7. Sed progrediendum est ad alteram quæstionis partem, in quâ disputatur: Utrum detur etiam in individuo actus humanus indifferens? Sic igitur Conclusio II. Non datur actus indifferens in individuo. Dico itaq;, non datur nec dari potest aliquis actus humanus & moralis, qui in individuo consideratus cum omnibus circumstantiis, quas actu habet, non sit determinatè bonus vel determinatè malus, sed verè indifferens ad bonum vel malum morale. Ita iterum S. Thomas, 1. 2. q. 18. a. 9. Gonet loco citato §. 2. ubi citat pro hac sententiâ plures Celebres Philosophos & Theologos Scholasticos, Curielem,

rielem, Svaretzium, Azarium, Navarrum. Potest etiam videri Petrus à S. Josepho in Ethicis. Huic etiam favent SS. PP. Magnus enim Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 18. Et in Epistola 9. ait: *Cavendum esse, ne quadam facta hominum dicamus inter rectè facta & peccatum.* Testimonia Patrum adeo manifesta sunt, ut Vasqvetzius in l. 2. disput. 25. cap. 6. ingenuè fateatur, fuisse Augustini sententiam, *non dari actum indifferentem in individuo*, & dicat sententiam Augustini, Thomæ Prosperi, Fulgentii & aliorum Augustini discipulorum hâc in re non sibi placere.

§. 8. Omissis variis probationibus probo conclusionem à priori tali ratiocinio: Homo rationalis tenetur in omnibus suis operationibus tendere in bonum honestum. E. non datur actus indifferens in individuo. Antecedens constat ex lege naturæ. Conseq. probatur. si daretur talis actus in individuo, hic ut suppono, præscinderet à bono & malo. E. non tenderet ad bonum honestum tendere enim ad bonum honestum & simul præscindere ab ejusmodi tendentia, sunt impossibilia imo imperceptibilia.

§. 9. Probatur ulterius ratione S. Thomæ ad hanc formam reducta. Si actus aliquis posset esse indifferens in individuo, maximè ille qui est indifferens ex sua specie sive ex objecto. Sed actus ex sua specie indifferens, non potest esse indifferens in individuo. E. Major patet, quia actus bonus aut malus ex objecto est necessario bonus aut malus in individuo, Minor verò prob. licet aliquis actus non habeat ex sua specie & objecto bonitatem aut malitiam, quia tamen bonitas aut malitia non pendet solum ab objecto, sed etiam à circumstantiis, quæ sunt veluti quædam accidentia, oportet ut quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam

tiam, per quam contrahitur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Nam si finis, quem formaliter aut virtualiter intendit, sit honestus, etiam si objectum sit indifferens, actus erit bonus moraliter, si autem finis non sit honestus, eo ipso talis actus erit malus moraliter.

§. 10. Possem si licitum esset excurrere & conclusionem ex Sacra Scriptura manifestè probare, & quidem ex verbis Salvatoris Matth. 12. v. 36. *Dico autem vobis, quod de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines sint reddituri rationem in die iudicij*: Ubi per verbum otiosum Hieronymus intelligit, quod sine utilitate loquentis & audientis profertur. Gregorius Magnus, quod aut utilitate rectitudinis aut ratione necessitatis caret. Bernhardus, quod nullam rationabilem causam agnoscit. Sed ne videar falcem in alterius messem immittere, hæc relinquo Theologis.

§. 11. Quod ut magis declaretur, objectiones quoque sunt resolvendæ. Vasqvætzius contrariæ partis acerrimus propugnator hunc in modum sententiam nostram impugnat. Datur actus medius inter bonum & malum. E. datur indifferens. Antecedens prob: si quis ob commodum naturæ v. g. propter motum iret spatiatum. Hic actus esset nec bonus nec malus, non bonus, quia bonum respicit rationem & virtutem, hic autem respiceret bonum saltem naturæ, ut supponitur. Sed neque malus esset, quia pro fine haberet recreationem. E. Resp. disting. antecedens: datur actus medius &c. in specie C. in individuo N. dico igitur, licet deambulatio secundum se & Physicè considerata sit indifferens, moraliter tamen spectata est mala, rationem à priori assigno, quia ad hoc ut actus sit moraliter bonus, non sufficit, ut fiat ob commodum aliquod naturæ, sed necesse est, ut sit con-

C } formis

formis rectæ rationi inspicienti bonum honestum, hinc sequitur actum respicientem tantum commodum aut delectationem naturæ carere rectitudine, & proinde est malus moraliter si consideretur.

§. 12. Instabis: Ambulatio ob commodum instituta si esset mala, ideo esset, quia est otiosa, sed hæc ratio est nulla. E. est indifferens. Min. probø, quicquid ordinatur ad commodum naturæ, illud non est otiosum. Sed talis actus &c. E. Resp. N. min. & ad probat. Nego quod ad hoc, ut actus non dicatur otiosus sufficiat eum ordinari ad commodum naturæ, sequeretur enim, actiones inutiles & verba jocosæ, quibus plurimi inutiliter tempus consumunt, esse moraliter bona, quod tamen falsum in sententiâ omnium, requiritur ergo ut actus procedat ex rationis præscripto, quum enim homo sit ratione præditus, tenetur semper secundum rectam rationem operari, quod probè est observandum pro solutione aliorum argumentorum.

QVÆSTIO VI.

In quo consistat conscientia & quomodo accuratè sit definienda.

Resp. per actum intellectus practici.

§. 1. Omnes inter materias in Ethicis tractari solitas facile principalem obtinet locum materia de conscientia, quæ à paucissimis fundamentaliter solet exponi. Placuit igitur in præsentia de accurata conscientia definitione instituire quæstionem. Variæ autem solent descriptiones ejusdem proponi, desumptæ à nominis Etymologiâ partim, partim à dignitate bonæ & tormento malæ.

§. 2. De

§. 2. De conscientia bona eleganter differit Hugo Victorinus lib. 2. de anima cap. 9. ubi sic ait: *Conscientia bona titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, reclinatorium aureum, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus Regis, aula DEI, habitaculum Sp. Sancti, liber signatus & clausus, & in die iudicij aperiendus.* Alii autem describentes à diversis officiis, mox cum Origine vocant conscientiam *Spiritum correctorem, Padagogum animæ; Cum Basilio naturale iudicium animæ; Cum Chrysostomo, testem fidelissimum.*

§. 3. Nominis attendendo definitionem Bernhardus lib. 2. de conscientia cap. 8. non incongruè eam *cordis scientiam* nuncupavit. Hugoni lib. de anima. c. II. à conclusione & scientia verbum conscientia derivanti dicitur concludens scientia. Thomas conscientiam ad objectum considerans docet, quod conscientia idem sit ac cum alio scientia. I. p. q. 79. a. 13. & quæst. 17. de verit. art. 2. ubi dicit, *quod conscientia supra scientiam applicationem scientiæ ad particularem importet.* Hæ descriptiones rejiciendæ minimè videntur, Thomæ tamen expositio accuratior videtur, utpote in experientia fundata.

§. 4. Philosophicè tamen procedendo nostro iudicio conscientia optimè hoc potest pacto definiri: Conscientia est actus intellectus practici, dictitans de bonitate & malitiâ eorum, quæ à nobis hic & nunc acta aut agenda sunt. Ita doctissimi Thomistæ, imò plurimi ex Jesuitis, qui aliàs in plurimum Thomistas impugnare solent. Hæc definitio probanda est per partes. Primo dicitur, quod sit actus, ut excludantur potentia & habitus. Hoc expressè docet Thomas q. 17. de veritate a. 1.

Ubi

Ubi ait. Potentiæ vel habitui, propriè loquendo, hoc nomen attribui non potest, sed solum actui. Videatur etiam 1. p. q. 79. a. 13. Quo ex loco probo, conscientiam non esse potentiam, argumento S. Doctoris: Conscientia potest deponi & mutari de malâ in bonam vel è contrario: potentiæ autem, quum sint proprietates animæ, sunt invariabiles. Deinde conscientia, ut superius dictum, est applicatio ad aliquid; applicatio vero scientiæ ad aliquid non fit per potentiam vel habitum sed per actum. E. Conscientia propriè loquendo non est potentia, nec habitus, sed actus. Egregiam adhuc subjungit S. Doctor confirmationem, quæ ibi potest videri.

§. 5. Deinde quod scientia sit actus intellectus prob. 1. ex eodem D. Thomæ loco ubi supra citato, quia dicit Thomas, esse quoddam mentis dictamen. Prob. 2. Ratione à posteriori petita, cujus effectus pertinet ad intellectum, illud ipsum est actus intellectus, atque effectus conscientiæ &c. E. Major est certa, quia effectus proportionantur actui, à quo procedunt, ab actu enim voluntatis non possunt non procedere effectus in praxi consistentes. Minor ostenditur, quia effectus conscientiæ sunt accusare, excusare, testificari, scire &c. Sed hi effectus pertinent ad intellectum. E. Conscientia in actu intellectus consistit.

§. 6. Ultimo: quod sit actus intellectus practici dictitans de bonitate vel malitiâ eorum, quæ à nobis hic & nunc aguntur, facile suadetur 1. quia consideratio bonitatis vel malitiæ moralis actuum humanorum pertinet ad scientiam moralem. E. ad intellectum practicum, id est, ad intellectum includentem imperium practicum & non tantum speculativum, ut docetur in Animasticâ. Probat. 2. Conscientia est applicatio scientiæ ad opus habens

bens annexam discretionem inter bonum & malum, sed talis discretio ad intellectum speculativum nullo modo potest pertinere. E. ad Practicum.

§. 7. Unica objectio nobis est resolvenda, hoc modo procedens: Conscientia secundum omnes dividitur in bonam & malam. Sed bonum & malum pertinent ad voluntatem. E. etiam conscientia pertinebit ad voluntatem. Resp. disting. antecedens. Conscientia dividitur in bonam & malam, formaliter considerata N. regulativè & directivè spectata C. & N. consequentiam. Et hæc de hâc materiâ.

QVÆSTIO VII.

V. Omne mendacium sit malum.

Resp. affirmat.

§. 1. Quum vix reperiatur, qui non aliquando committat mendacium, haud inutiliter quæritur, utrum omne mendacium sit malum & peccatum. Prænoto, mentiri dici quasi contra mentem ire, exponente Thoma secunda secundæ quæst. 110. art. 1. Est igitur mendacium e locutio cujusdam veri vel falsi cum intentione fallendi, cujus contrarium sentimus in mente. Dividitur in ordine ad culpam in officiosum, jocosum & perniciosum. Perniciosum est definiente Thoma loco cit. si quis per mendacium intendat alterius nocumentum. Jocosum quod ordinatur ad bonum delectabile. Officiosum respicit bonum utile, intenditur enim per tale juvamen alterius, vel remotio nocumenti.

§. 2. Movetur igitur gravissima difficultas de mēdacio officioso, perniciosum enim non esse licitum, tam certum est quàm quod certissimum. Quæstio qq. non pro-

D

cedit

cedit de mendacio jocosio, quum enim ejusmodi mendacium inutilia exigat verba, non potest non esse malum. Difficultas E. procedit de officioso, per quod, si committatur, potest proximi fama & nonnunquam vita conservari.

§. 3. His præmissis statuo hanc unicam conclusionem. Omne mendacium qualecunq; illud est malum. Hujus sententiæ sunt quam plurimi S. S. Patrum. Augustinus in lib. cont. mendacium; Thomas Aquinas II. 2. q. 110. a. 3. in corpore articuli, uti citat pro se Aristotelem 4. Ethicorum, *dicentem quod mendacium sit per se prævum & fugiendum.* Subscribunt qq. huic sententiæ Theologi in casibus conscientiæ ut Mariana, Ribera & alii. Probatur ratione, quia utitur Thomas loco citato. Quicquid secundum se est malum, illud in nullo casu seu circumstantiâ potest esse bonum. Atqui mendacium secundum se est malum. E. Major nititur regula à Dionysio cap. 4. de divinis Nominibus traditæ. Bonum est ex integra causa, malum vero est ex singularibus defectibus: Minor autem est probanda, utpote in qua est sola difficultas, quam etiam probo hoc prosyllogismo; Mendacium est actus cadens super indebitam materiam sc. super voces, quæ sunt signa naturalia intellectus. E. significatio falsa vocibus est innaturalis & indebita. E. Mendacium secundum se est malum. Consequentia verò Syllogismi est quoque evidens, quia, optimè advertente Thoma loco citato, actus possunt specificari vel ab objecto vel à fine puta principaliter.

§. 4. A nostra sententiâ plurimi ex recentioribus recedunt, præprimis Jesuita, sustinentes posse quendam juramentum falsum licitè deponere, dummodo verba ambigua & æquivoca adhibeat, hinc mendacium aliquod

aliquod enorme consuevit æquivocatio Jesuitica nuncu-
pari. Quantum verò ad officiosum mendacium, illud
esse licitum, imò laudabile & necessarium affirmant Fi-
cinus Platonis interpres lib. 3. de Repub. Bodinus lib. 4.
de Repub. Ficini verba sunt: *Licet Gubernatoribus interdum
uti mendacio salutis publicæ gratia & privato quandoq;
erga privatum, solum mali cujusdam gravissimi devitandi
gratia.* Scaliger eandem approbans sententiam 3. poe-
tic. cap. 12. inquit: *Magnanimus qui nihil sordidi vel pro-
bat vel patitur, veraciter aliquando non loquitur ad multi-
tudinem.*

§. 5. Hæc sententia posset aliquo modo probari. 1.
Dolus bonus non est vitiosus, atqvi mendacium officio-
sum est dolus bonus. E. Major prob. qvia actus in-
tendens bonum finem est bonus, actus enim moralis spe-
cificatur à fine. Resp. Neg. absolutè majore ex funda-
mentali nostrâ ratione pro contrariâ sententiâ adductâ,
qvia actus secundum se malus nullo modo perfectè pot-
est mutari in bonum, & licet diminuatur actus malitiæ à
bono fine, neqvit tamen adæquatè malitia auferri, ideò
qvia talis actus est ex objecto malus, ut fusè docent Scho-
lastici in secunda secundæ S. Thomæ. Probationem ma-
joris etiam distinguo: actus intendens bonum finem, est
bonus si est ex se indifferens C. si secundum speciem suam
malus N.

§. 6. Posset adversarius argumentari 2. Quo nemini
nocetur, communi verò bono aut utilitati sæpè servitur,
ejus usus est licitus. Officioso mendacio nemini nocetur,
communi autem &c. E. Resp. dist: maj. Quo nemini
nocetur & communi utilitati servitur, ita ut etiam non
maculetur conscientia C. si lædatur N. dico igitur per of-
ficiosum mendacium maculari conscientiam, non tene-
or autem

or autem juvare proximum, ita etiam ut propriam conscientiam maculâ quâdam notem & aspergam.

§. 7. Dices: Minus malum est eligendum, ut vitetur majus malum, sicut Medicus præscindit membrum, ne corrumpatur totum corpus, sed minus nocumentum est generare falsam opinionem in animo alicujus, quàm permittere, ut proximus occidatur. E. mendacium officiosum licitum est. Resp. nec minus malum esse eligendum, rationem à priori assigno, quia etiam in inimico malo habetur inordinatio, licet E. mendacium nullum inferat damnum, infert tamen inordinationem, ut supra ostensum est. Subjungit autem Thomas: *licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione*, ut Augustinus docet in lib. cont. mendacium. Noli autem inferre E. licitè quis potest officiosè mentiri, ne infer hoc inquam, quia aliud est mentiri, aliud est dissimulare.

QVÆSTIO IIX.

V. ad humanorum actuum moralitatem requiratur libertas?

Resp. affirmat.

§. 1. Concludo cum omnibus Scholasticis: Ut actus nostri sint boni vel mali moraliter, laudabiles aut vituperabiles, non sufficere libertatem à coactione, sed requiri libertatem indifferentiæ, pro hoc pugnant Thomas q. 1. de malo, articulo unico ubi contrariam sententiam vocat hæreticam. Confirmat eandem Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, ubi ait: *Liberi arbitrii nos condidit DEUS, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas nec corona est.* Qvod dictum

ctum Augustinus lib. de natura & gratia cap. 65. Approbatur ut verissimum, certissimum atque notissimum. Unde lib. 3. de libero arbitrio c. 1. asserit, quod nisi motus animi, quo ad bonum vel ad malum spectimur, in nostra esset positus potestate, ne claudendus foret homo, neque culpandus, quando malè vel benè agit, item libro de fide contra Manichæos. cap. 10. Quis, inquit, non vocet stultum, præcepta dare ei, cui liberum non est, præcipitur facere.

§. 2. Hanc rationem eleganter prosequitur Eusebius lib. 6. de præparatione cap. 5. his verbis: *Sublato libero arbitrio jacebit omnis Philosophia, jacebit pietas, nulla erit laus virtutis, nullus fructus laboris, nec puniendi erunt improbi, nec admirandi studiosi, inutiles prorsus leges, vana exhortationes, cassæ objugationes, nullum meritum, nulla merces nec virtus erit nec vitium, si non libera voluntate, sed necessitate factorum opera nostra fiant.*

§. 3. Probatur nunc ratione conclusio, quam insinuat S. Thomas in 2. Sentent. dist. 24. q. 3. a. 3. ubi dicit, quod ibi incipiat genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur. Sed dominium voluntatis est per libertatem indifferentiæ, per quam in ejus potestate est agere vel non agere, aut agere hoc vel illud, ut docet idem S. Doctor l. p. q. 82. a. 1. ad 3. ubi ait: *Sumus Domini nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc vel illud agere.* E. libertas indifferentiæ est fundamentum moralitatis & radix ex quâ hæ proprietates in actibus humanis, veluti flores & rami, progerminant, scilicet ut sint laudabiles vel vituperabiles, boni vel mali in naturalibus (non autem in supernaturalibus, ut Pontificiis placet) meritorii vel demeritorii &c.

§. 4. Probatur conclusio adhuc egregiâ ratione, quàm fusè prosequuntur Doctores Salmanticenses (hi

D 3

Doctores

Doctores in Hispania inter omnes sunt celeberrimi & aurea commentaria conscripserunt in omnia opera D. Thomæ) 1. 2. tract. 2. Disp. 1. dubio 1. §. 2. potestq; sic breviter proponi. Actus nostri nō aliā ratione dicuntur morales, nisi quia subjacent regulis morū & ab aliis regulantur, sic ut actio aliqua ex eo artificialis dicitur, quod subsit regulis artis: sed actus purè spontanei, & à solā coactione immunes, non possunt regulis morum subjici, nec ab iis dirigi & regulari. E. nec morales dici. Major patet, & minor prob. cum enim regula seu lex adhibentur actionibus, ut eas ab extremis ad medium regulæ deducat, frustra illa adhiberetur actioni, quæ non est variabilis secundum medium & extrema, sed suapte natura invariabilis & ad unum determinata: actus enim purè spontanei, & à sola coactione immunes, sunt omnino invariabiles, & ad unum ex sua naturā determinati, ut patet. E. illi non possunt subjici regulis morum, nec ab eis dirigi & regulari.

§. 5. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Proprium munus regulæ moralis est imponere modum regulato, determinando ipsum ad unum quod ratio dicitur, unde ut moraliter reguletur, supponitur indifferens, si sic vel sic determinetur. E. actus qui non sunt indifferentes, sed ad unum totaliter determinati, non possunt cadere sub regulam moralem, nec dici moraliter boni aut mali.

§. 6. Probata & confirmata hæc sententiā, progrediuntur Ethici ulterius inquirendo, utrum ut actus humani sunt moraliter boni aut mali, requiratur libertas contrarietatis, an verò sufficiat libertas contradictionis seu exercitii. Respondeo breviter, sufficere libertatem contradictionis. Prob. ea libertas sufficit ad moralitatem,

tem, quæ sufficit ad hoc, ut actus à regulis morum possint regulari. Sed ad hoc sufficit libertas quoad exercitium. E. admerendum vel demerendum in naturalibus sufficit libertas exercitii. Major ex præcedentibus patet & minor prob. Eo ipso, quod actus sit liber quoad exercitium, potest ratio vel lex de illo disponere, eiq; potest aliquid imperare vel prohibere. E. eo ipso potest dirigi à regulis morum.

§. 7. Jesus Christus Dominus & Salvator noster secundum humanam naturam exercuit actus moraliter bonos & meritorios, nec tamen in eo fuit libertas contrarietatis ad bonum & malum. Ratio à priori est, quia ab intrinseco potentiam peccandi non habuit. E. libertas contradictionis sufficit. Deinde Angeli fuerunt necessitati ad actum charitatis eliciendum, quoad specificationem, habuerunt autem libertatem exercitii. Ratio est, quia in primo instanti peccare non potuerunt, ut docetur in tract. de angelis, sed de his fusè disputant Scholastici in Theologia; Materiam saltem conclusionem hanc uterius probandi §. Theol. Studiosis incidenter volui præbere.

§. 8. Prior conclusio licet sit luce meridianâ clarior, potest argumentis gravissimis impugnari, quæ proinde à nobis sunt resolvendæ. Occasione dicti Thomæ Aquinatis in 2. distinct. 40. q. 1. a. 1. *Actus sunt in genere moris, ex hoc quod sunt voluntarii*, potest contradicens hunc in modum argumentari. Quicumq; actus sunt voluntarii, illi sunt in genere moris. Atqui actus spontanei sunt voluntarii. E. Major innititur dicto Thomæ, à cuius sententiâ ægrè recedimus in Philosophiâ. Minor clara videtur, quia ejusmodi actus sunt à principio intrinseco cum cognitione finis. E. sunt morales. Unde idem
S. Do-

S. Doctor q. 19. de veritate. art. 6. & in sentent. dist. 28. q. 1. ad 2. docet, *actum charitatis, quo Christus DEUM dilexit, fuisse meritorium.* Et in Responsione ad 5. sic ait: *Etiamsi liberum arbitrium Christi sit determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum DEUM, tamen per hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coactè, sed sponte tendit, & ita est actus sui Dominus.* E. Actus spontaneus non est laudabilis.

§. 9. Respondeo in dicto allegato, S. Thomam sumere voluntarium pro libero, non verò pro spontaneo. Ad aliud testimonium, relictis variis solutionibus, Respondeo cum Bannezio, Alvarezio & Doctoribus Salmanticensibus, actum charitatis Christi posse considerari dupliciter 1. prout respicit DEUM ut bonum secundum se, & hoc modo fertur in illum omninò necessariò, unde prout sic non fuit meritorium. 2. quatenus respicit secundum, quod in actu exercitio est ratio diligendi creaturas, (id est in quantum dilexit DEUM propter productionem & conservationem creaturarum) & hoc modo fertur in eum liberè, saltem quoad exercitium & hac ratione fuit meritorium. Sed de his videantur Salmantenses.

QVÆSTIO IX.

V. ad tormenta damnaq; gravia vitanda quilibet sibi metipsi posset falsum crimen imponere, etiamsi mortem appetat?

Resp. Negativè.

§. 1. Admiranda sanè est Pontificiorum discordia etiam

etiam in gravissimis quæstionibus, Ecclesiam Papisticam uniformem alias uno ore clamitantium, quum tamen in nullâ quam ipsorum congregatione major reperitur discordia. Inter recentiores autem Philosophiæ Practicæ Professores Pontificiorum semina quædam quæ: pestifera sunt sparsa in corda auditorum, in seminandis verò ejusmodi pessimis dogmatibus laboriosi fuerunt Caramuelâ Lobkowitz, Tamburinus, Pater de Lugo, Sanchetz & nonnulli Jesuitæ, placuit politicas quasdam superioribus subnectere quæstiones ex his desumptas, ut cordatus lector videat, qualibus fundamentis in Ethicis & Politicis suos discipulos imbuere solent.

§. 2. Ad quæstionem præsentem omnes Doctores negativè respondent, Tamburino verò unanimis consensus Philosophorum & Theologorum displicet, docet namq; hic lib. 6. c. 2. §. 2. num. 12. & lib. 9. cap. 3. §. 6. oppositam sententiam esse longè veriore. Sed contra Tamburinum sit conclusio: i. Hæc assertio manifestum continet errorem. Probatur, quæ sunt intrinsecè seu ex genere suo mala, nunquam possunt esse bona & licita, nec ex intentione alicujus boni finis legitimari, ut patet ex supra dictis de mandacio, quod in nullo casu potest esse bonum & licitum. Jam subsumo: Atqui falsum testimonium est intrinsecè malum, ut docet D. Thomas, Secunda Secundæ, q. 20. art. 4. his verbis. *Falsum testimonium habet triplicem deformitatem, uno modo ex perjurio, quia testes non admittuntur nisi jurati: alio modo ex violatione justitiæ, Tertio ex ipsa falsitate, secundum quod omne mendacium est peccatum.* E. nunquam licet falsum testimonium dicere nec per consequens ad tormenta vel gravia damna vitanda, potest quis sibi metipsum falsum crimen imponere.

E

§. 3. Non

§. 3. Non est licitum pro alterius vitâ mentiri, ut Alexander tertius in cap. de usuris, respondens Panormitano Episcopo inquit: *Scriptura S. prohibet pro alterius vita mentiri*, quem locum citat pro sua sententia Thomas secunda secundæ, q. 110. a. 3. E. â fortiori prohibet mentiri & falsum proferre testimonium ad procurandum mortem sibi, ut per illam tormenta vel damna gravia vitentur.

§. 4. Sit conclusio secunda: Hæc Tamburini assertio horrorem humanæ mente incutit. Prob. manifestè, quia ex eâ evidenter sequitur, licere seipsum absque singulari DEI jussu occidere: sicut enim qui falso testimonio aliû perimit seu perimendû curat homicida est, ita qui se ipsum falso testimonio interimit, luicida est, quid enim refert, quod se ipsum ferro vel linguâ perimat, dummodo se ipsum perimat? Unde Augustinus exponens illud Psalmi 64 v. 4. *Qui exacuunt sicut gladium linguam suam*, dicit, *Judeus adversus Christum falsum dicentes testimonium, ipsum occidisse gladio lingua & subnectit: Nisi enim lingua gladius esset, non alibi diceret, idem Psaltes: Dentes filiorum hominum sunt arma & sagitta & lingua eorum gladius acutus.* Suicidium autem gravissimum esse peccatum, & gravius homicidio, fratricidio & patricidio, idem S. Doctor. lib. de patientia cap. 13. his verbis declarat: *Si parricida sceleratior est, quàm quilibet homicida, quia non tantò hominem, verum etiam propinquum necat, & in ipsis parricidis quântò propinquiorem quis que peremerit, tanto judicatur immanior, sine dubio peior est, qui se ipsum occidit, quia nemo est homini seipso propinquior.*

QVÆ-

QVÆSTIO X.

V. Licitum sit reo cum æquivocatione
negare veritatem Judici legitimo,
legitimè interroganti?

Resp. Negativè.

§. 1. Joannes Sancius in practicis disputationibus disp. 9. num. 7. & sequent. teste Diana tract. 7. Resolutione SS. Tamburinus in expositione Decalogi lib. 3. cap. 4. §. 3. 1. 5. Pater de Lugo affirmativè respondent, intolerabile hocce dogma docentes. Hypponensis Episcopus nostrâ si viveret atate hasq; absurdas & pestiferas penderet opiniones, meliori quam olim exclamare posset jure ex lib. cont. mendac. cap. 18. *O ubi estis fontes lacrymarum? Et quid facimus? Quo ibimus, ubi nos occultabimus ab irâ veritatis, si non solum negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuriam?*

§. 2. Sit ergo contra hos novatores conclusio unica: Tenetur reus legitimo judici legitimè interroganti nudam exponere veritatem. Ita docet S Thomas II. 2. q. 69. art. 1. in corpore ubi sic ait: *Pertinet ad debitum justitia, ut aliquis obediat suo superiori in iis, ad que jus prelationis se extendit.* Judex autem superior est respectu ejus, qui judicatur, & ideo ex debito tenetur accusatus judici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit, & ideo si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat. Quo nihil clarius & expressius contra Tamburini assertionem dici potest.

§. 3. Probatum ratione, Reus est subjectus Judi-

E 2

ci,

ei. E. Reus tenetur veritatem non celare, sed manifestare, ratio consequentiæ est, quia absque tali veritatis manifestatione non potest exerceri iudicium & aliàs ex præscripto rationis constat iudici & superiori esse obediendum, poterit E. iudex conscientiam reo aggravare potest que eum urgere, ut verum confiteatur.

§. 4. Est igitur Doctrina Tamburini perversa & prorsus intolerabilis, dum æquivocationes & restrictiones mentales permittit; quod plures gravissimi Doctores nunquam licere existimarunt, videatur D. Thomas II. 2. q. 109. a. 3. ad 1. ubi sic discurret: *Quia homo est animal sociale, naturaliter alter debet alteri id, sine quo societas humana servari non potest, non autem possent homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tanquam sibi invicem veritatem manifestantibus.* Quo discursu utitur etiam D. Augustinus in Enchirid. cap. 22. ubi sic ait: *Utique verba propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat.* Verbis igitur uti ad fallaciam & non ad quod instituta sunt, peccatum est.

§. 5. Unde Caramuel, licet in laxas opiniones valdè propensus, in eam tamen quæ æquivocationes & restrictiones mentales permittit, invehitur in Theologia fundamentali, num. 282. ubi hæc scribit: *Est mihi innata aversio contra restrictiones mentales, tollunt enim humanam societatem, tanquam pestifera damnanda sunt, quoniam admisse aperiunt omni perjurio viam, & tota differentia in ea erit, ut quod heri vocabatur mendacium, naturam & malitiam non mutet, sed nomen ita ut hodie jubeatur restrictio mentalis nominari, quod est venenum condire sacaro, & scelus specie virtutis colorare.*

§. 6. Deinde, licet æquivocationes & restrictiones

nes

nes mentales interdum suppositis quibusdam conditionibus licitæ essent, eas tamen extendere ad tribunalia justitiæ, prorsus intolerabile est: nam ut ait D. Thomas supra relatus, *ex debito tenetur accusatus judici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit: & ideo si confiteri voluerit veritatem, quam dicere tenetur, mortaliter peccat.*

QVÆSTIO XI.

V. Licitum sit inducere testem ad jurandum falsum, quod jurans quidem putat esse verum, ipse verò inducens jurantem scit esse falsum.

Resp. Negativè.

§. 1. Ad quæstionem propositam respondet Tamburinus iterum affirmativè lib. 3. in Decalog. c. 1. §. 6. 7. referens pro hac sententiâ, Hurtadum, Dianam & Tancredum.

§. 2. Hæc assertio non solum improbabilis & erronea est, sed etiam prorsus impia, proinde confutatur 1. quæ opinio pugnat cum amore DEI & proximi, illa est impia & intollerabilis, sed hæc talis est. E. Major probatione haud indiget, & minor evidenter probatur: Amor DEI & Zelus honoris ejus obligat me, ut quantum possum, vitæ etiam peccata materialia, tam in me quam in aliis: jurare autem id, quod re ipsa est falsum & putatur esse verum, est peccatum saltem materialiter, quàm tale juramentum veritati & æternæ legè dissonum sit cuilibet patet. E. quantum possum, teneor juramentum illud impedire & tantum abest, quin possim ad illud proximum inducere.

E ;

§. 3. Im-

§. 3. Impugnatur 2. fraternæ charitatis dictamine proximum instruere teneor, quum laborat alicujus rei ignorantia, jure divino & naturali contrariæ & probabiliter speratur, eum ablatâ ignorantia non operaturum, quæ cum ignorantia facit, si quis ignorat. e.g. Mariam non esse suam uxorem & vult ad eam accedere, teneor illum admonere, eam ejus non esse uxorem. Mira ergo est Tamburini exorbitantia, dum scribere audet, licitum esse, non modò proximum ignorantem non instruere, sed insuper ipsum in materialem Decalogi transgressionem impellere.

§. 4. Quid ad hæc Tamburinus Egregius sc. Decalogi interpres: loc. cit. inquit: *jurare falsum, quod sine culpa putatur esse verum (NB.) actus est religionis, unde qui ad hoc inducit, ad actum virtutis inducit.* Ecce qualem blasphemiam hic committit Tamburinus. In hoc pacto: Nonne, cum servus laborat in die festo, quem bona fide existimat non esse festum, actus est obedientiæ vel justitiæ? quis tamen propterea asserat, mihi licere inducere servum ad laborandum in die, quem laborans nescit esse festum, ego vero festivum esse scio? quàm levis ergo & frivola est illa Tamburini ratio, quâ se permotum dicit ad hanc assertionem inducere testem ad jurandum falsum, quod jurans quidem putat esse verum, ipse vero inducens scit esse falsum.

QVÆSTIO XII.

V. Milites navales licitè possint ignem injicere in pulverem sulphureum, ne navis in hostium potestatem integra deveniat,

veniat, vel ne hostes fiant animosiores
ex partâ victoriâ?

Resp. Negat.

§. 1. Status controversiæ videtur clarè propo-
tus, proinde lubet absqve omnibus ambagibus subne-
ctere conclusionem negativam, quæ probatur authorita-
te omnium Philosophorum.

§. 2. Aristoteles lib. 2. Ethic. c. 7. non obstante
quod fuerit Ethnicus, hæc, egregia posteritati reliquit
verba: *mortem sibi consciscere ob fugiendam paupertatem,
aut amarum vel molestum aliquid, non sapientis est homi-
nis, sed timidi, est enim mollitiei laboriosa fugere; nec quia
res est honesta, appetit mortem, sed quia malum fugit.*
Scitè quoque ait Senec. Epist. 24. *Vir fortis ac sapiens non
fugere debet à vitâ, sed exire.* Et Epistola 20. *Stultitia est
(inquit) timore mortis mori: venit qui occidat, expecta
quid occupas? quare suscipis aliena crudelitatis procuratio-
nem? Utrum invides carnifici tuo an parcis?* Martialis
concinit in quendam Phaunium, qui ut mortem, quam
ipsi hostis intētabat, fugeret, seipsum peremit, sic ludens:
Hostem cum fugeret, se Phaunius ipse peremit.

Dic rogo num furor est, ne moriari mori.

§. 3. Probatur 2. verbis & rationibus Thomæ A-
quinatis, II. quæst. 6. art. 5. ad 3. ubi hæc scribit: *Transi-
tus de hac vitâ in aliam feliciorē, non subjacet libero arbi-
trio hominis, sed potestati divinæ, Et idè non licet homini se
ipsum interficere, ut ad feliciorē transeat vitam; simili-
ter etiam nec ut quislibet miseras præsentis vitæ evadat,
quia ultimum malorum hujus vitæ, Et maximè terribile est
mors, ut patet ex 3. Ethic. Et idè inferre sibi mortem, ad ali-*
as hujus

as hujus vite misérias evadendas, est majus malum assume-
re ad minoris mali vitiationem. Et post pauca, similiter
etiam nulli licet seipsum occidere ob timorem, ut vitentur
mala, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona &c. Ex
quibus verbis sic argumentor: Quicquid non subiacet
libero arbitrio hominis, sed tantum potestati divinæ, il-
lud etiam à nullo mortalium est eligendum. Atqui
mors voluntaria sub quacunque conditione considerata
non subiacet libero arbitrio hominis, E. etiam non est
eligenda.

§. 4. Hæc quoque fuit mens Augustini lib. 1. de
civit. DEI cap. 20. ubi sic ait: *in Sanctis Canonicis q̄ libris
nusquam nobis divinitus præceptum permissumve reperiri pot-
est, vel ipsius adipiscenda immortalitatis, vel ullius carendi
cavendiq̄ mali causa nobismetipsis necem inferamus.*

§. 5. Damnanda igitur est assertio Tâmburini
lib. 6. §. 2. num. 9. citantis Lessium, affirmativa: da-
mnanda inquam est, quia non tantum authoritati omni-
um Philosophorum repugnat, sed etiam rectæ rationi
reclamat: Concludo igitur cum lactantio lib. 8. c. 18.
*Execrabilis & prorsus fugienda est illa doctrina, quæ homi-
nes abigit à vita.* Hæc in præsentī placuit conscribere,
faxit DEUS, ut cedant ad majorem sanctissi-
mi sui nominis gloriam.

LAUS DEO.

ADDITAMENTA

I.

Quilibet homo habet appetitum
ad Ethicam.

II.

Datur Summum Bonum in homi-
nibus, sed non in homine.

III.

Summum Bonum non consistit in
Eruditione,

IV.

Nec in voluptate animi,

V.

Sed in virtute practica est collocan-
dum.

VI.

Vir fortis illasâ fortitudine potest
lachrymari.

VII.

Gladio fama non potest defendi,
puta in duello,

Magnos magna decere, docent proverbialia vulgi,
Grotius & Magnus magna subire cupit,
Magna subire studet scribendo maxima dicta,
Grotius ut magnus Maximus esse queat,
Pergito Palladias, moneo, sudare per artes,
Et nunquam studiis frena remitte tuis,
Sic Tua vivaci decorabis secula laude:
Sic nomen Groti scandet ad astra Poli.

*Hic Pra-Eximio ac Florentissimo Dno. Respondenti,
gratulari voluit*
PRAESES.



Siccine nunc audes Sapientum scandere Templa?
Hoc ad virtutis limina ducit iter.

*Macte tuis ceptis studiis, Dulcissime Amice,
Praemia magna Tibi Philosophia dabit.*

*Hæc Prastantissimo Dn. Respond. Commensali
& Amico suo dilectissimo deproper.*

Joh. Casp. Heinisius.




Hactenus ætatem Phæbo, Musisq; sacraſti,
Hoc te felicem Groti, dicoq; beatum,
Quod fortuna tuis respondit ceptis Amice,
Ut nunc des specimen summa cum laude laborum.
Gratulator, & porro felices hiſce precabor
Successus studiis. Id amoris vincla requirunt.

*Hec Amico suo ac Conterraneo honoratissimo gratula-
bundus scripsit*

CHRISTOPH. Wieggers/ Hamburg.

☉ (:o:) ☉



veniat, vel ne hostes f
ex partâ vic

Resp. Ne

§. 1. Status controversia
tus, proinde lubet absque omni
ctere conclusionem negativam, q
te omnium Philosophorum.

§. 2. Aristoteles lib. 2. E
quod fuerit Ethnicus, hæc egre
verba: *mortem sibi consciscere ob
aut amarum vel molestum aliquid
nis, sed timidi, est enim mollitie la
res est honesta, appetit mortem,
Scitè quoque ait Senec. Epist. 24.
fugere debet è vitâ, sed exire. Et E
(inquit) timore mortis mori: ve
quid occupas? quare suscipis aliena
nem? Utrum invides carnifici tu
concinat in quendam Phaunium,
ipsi hostis intētabat, fugeret, seipso*

Hostem cum fugeret, se Phaun

Dic rogo num furor est, ne

§. 3. Probatur 2. verbis & 1
quinatis, II. quæst. 6. art. 5. ul
tus de hac vitâ in aliam feliciorē,
trio hominis, sed potestati divina, &
ipsum interficere, ut ad feliciorē
ter etiam nec ut quislibet miserias
quia ultimum malorum hujus vitæ,
mors, ut patet ex 3. Ethic. & idē in se

nosiores

rè proposi
bus subne
authorita

on obstante
ati reliquit
supertatem,
is est homi
ne; nec quia
lum fugit.
sapiens non
Stultitia est
at, expecta
procuratio

Martialis
tem, quam
sic ludens:
mit.

ori.

Thomæ A
t: Transi
libero arbi
homini se
m; simili
te evadat,
rribile est
m, ad ali

as hujus

